



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. III. Corollarium notatu dignum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

in mortali impotentia vitandi omnia mortalia A
collektivè, nimirum ex deordinatione rationis
per aversionem à Deo, & conversionem ad
creaturam, ex qua (ut ibidem notavit D. Tho-
mas) oritur quod, nisi in continua præmeditatio-
ne existat, non possit non operari multoties ju-
xta præconceptum finem; & ex corruptione seu
rebellione partis inferioris, superiorem ad ali-
cuius pertrahentis. Quia ergo in homine iustifi-
cato, primum caput per gratiam sanctificantem
edificatum est, hinc fit quod possit ratione gra-
tiæ omnia mortalia quæ ex illo trahebant origi-
nem, evitare. Et hoc voluit D. Thomas, dum
dixit quod homo in statu gratiæ potest ab omni
peccato mortali, quod in ratione consistit, abstinere. Unde

Ad confirmationem dicendum, quod negatio
firmitatis cordis in Deo, non est causa adæquata
indigentia auxilij specialis ad vitanda omnia
mortalia collectivè, sed una solum ex causis; alia
autem hujus causa est negatio subordinationis
partis inferioris ad rationem: unde cum in statu
naturæ lapsæ hæc secunda causa in homine ju-
stificato perseveret, etsi prima non subsistat, non
potest vitare omnia mortalia collectivè, sed ea
dimittat quæ ex prima causa, nimirum deordi-
natione rationis, per aversionem à Deo, & con-
versionem ad creaturam, trahunt originem.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis inferes, hominem in statu naturæ
lapse (etiam postquam est iustificatus) non
posse, sine speciali auxilio, graves tentationes
contra præcepta legis naturæ vincere ex aliquo
motivo honesto. Ratio est, quia vincere gravem
tentationem, etiam præcisè ob honestatem natu-
ralem, est opus morale difficile: Sed homo in
statu naturæ lapsæ, etiam postquam est iustifica-
tus, non potest exercere opus morale difficile,
absque speciali auxilio Dei; quia (ut supra de-
claravimus ex 9. Thoma) gratia sanctificans
non sanat hominem perfecte, sed in eo relinquit
languorem potentiarum, & rebellionem con-
cupiscentiæ, ad meritum & profectum vitæ spi-
ritualis, ut quotidiana in viris sanctis pliusquam
satis confirmat experientia: Ergo homo in statu
naturæ lapsæ, etiam postquam est iustificatus,
graves tentationes, absque speciali auxilio, vin-
cere nequit ex aliquo motivo honesto. Quod in-
telligi debet, non solum quando tentatio vincit-
tur positive, faciendo scilicet opus virtutis con-
trariæ, sed etiam quando vincitur negativè,
hoc est, quando homo non exequitur opus ad
quod tentatur: Cum enim vehemens tenta-
tio maxime impellat ad cadendum, ipsum non
cadere, & tentationi non succumbere, speciali
Dei gratiæ tribui debet. Unde Innocentius Pa-
pa in Epistola ad Concilium Carthaginense,
apud Augustinum 91. Quotidiana præstat ille re-
media, quibus nisi freri confisque nitamur, nullatenus
vincere humanos poterimus errores: necesse est enim,
ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante
vincamur. Dixi gravem tentationem non posse
absque speciali auxilio vinci, ex aliquo motivo
honesto: nam ad vincendam gravem tentatio-
nem ex gravi aliquo motivo, v.g. tentationem
luxuriæ ex motivo avaritiæ, vel inanis gloriæ,
necessarium non est speciale gratiæ adju-
rium 3 quia æquus ille ex circumstantia finis est

malus, gratia autem specialis non desideratur
nisi ad actum difficilem, unde quaque honestum.

Dices: Tentatio quamcumvis vehemens, quan-
diu rationis iudicio non absorbet, libertatem
non adimit homini lapso ad ipsi resistendum:
Ergo potest homo lapsus, quantumvis gravi ten-
tatione contra aliquod præceptum legis naturæ
pulsatus, tentationem illam superare, absque
speciali auxilio. Consequenter videtur legiti-
ma: impossibile enim videtur, quod aliquis om-
ni speciali auxilio destitutus, remaneat liber ad
resistendum tentationi, si absque speciali auxi-
lio non possit ei resistere. Antecedens verò pro-
batur ex 12. Thoma supra quæst. 10. art. 2. & 3.
ubi docet expressè a nullo omnino objecto, nuli-
lavi passionis, quantumvis vehementi, volunta-
tem hominis, quandiu est in via, necessitari posse
quoad exercitium actus, sed semper manere li-
beram, ut eliciat vel non eliciat actum: quod et-
iam asserit D. Anselmus lib. de libero arbitrio, cap.
6. 7. 9. & 10. Ratio etiam suffragatur: nam si gra-
vis tentatio libertatem adimeret homini tenta-
to, speciali auxilio ad ei resistendum constituto, ho-
mo ille ei consentiendo non peccaret; quia nemo
peccat in eo quod libere vitare non potest.

Respondeo concessio Antecedente, negando
ejus Consequentiam: ut enim si homo dica-
tur liber ad observanda præcepta supernatura-
lia, & resistendum tentationibus ad eorum trans-
gressionem inducentibus, non est necesse quod
id præstare valeat sine gratia, & ex solis viribus
liber arbitrii; sed sufficit quod id possit median-
te gratia, quia ipsi offertur a Deo, quando urget
eorum obligatio, aut pulsatur gravis tentatio; ut
passim docent Augustinus, Hieronymus, & alij,
SS. Patres, impugnantes errorem Pelagij, qui as-
sererat hominem non esse liberum; si Dei indi-
get auxilio, ut refert D. Hieronymus in Epistola
ad Cresiphontem: ita pariter ut tentatio gravis
contra præcepta naturalia, relinquit hominem
lapsum liberum ad ei resistendum, non requi-
ritur quod ille, tali tentatione pulsatus, possit
absque speciali auxilio ipsi resistere, sed sufficit
quod id possit cum speciali auxilio, eo a Deo
oblato, instante obligatione præcepti naturalis,
& gravi illa tentatione urgente: ut enim ait D.
Thomas hic art. 4. ad 2. Illud quod possumus cum
auxilio divino, non est nobis omnino impossibile, secun-
dum illud Philosophi in 3. Ethic. Quæ per amicos pos-
sumus, aliquantulum per nos possumus.

Quæres ad complementum huius questionis,
an homo lapsus possit sine speciali auxilio vin-
cere singula peccata contra legem naturæ? Ratio
dubitandi est quia D. Thomas hic art. 8 in cor-
pore id expressè videtur asserere, ait enim: An-
quam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, re-
paretur per gratiam iustificantem, potest singula pec-
cata mortalia vitare.... quia non est necesse quod con-
tinuo peccet in actu. Et in solut. ad 1. Dicendum (in-
quit) quod homo potest vitare singulos actus peccati,
non tamen omnes, nisi per gratiam. Ratio etiam suf-
fragatur: Nam ut docet idem S. Doctor supra
quæst. 10. art. 2. & 3. voluntas nostra non potest
ab ullo objecto particulari hic in via necessitari,
neque etiam ab ulla passione, quantumcumque
vehementi, dummodo non tollat indifferen-
tiam iudicii: Ergo potest ex viribus propriis sin-
gula peccata vitare.

Propter hæc argumenta quidam ex nostris Tho-
mistis, quos citat & sequitur Curiel hic dub. 3.
§. 2. concl. ultimâ, partem affirmativam tenent.

Nihil

Nihilominus sententia negans videtur probabilior, & principis sui a statutis conformior: nam supra art. 4. ostendimus hominem lapsum non posse, absque speciali auxilio, præceptum dilectionis Dei ut authoris naturæ observare: Ergo nec potest absque speciali gratia peccatū omissionis hujus præcepti vitare. Diximus etiā supra valde probabile esse, hominem lapsum non posse quædam alia præcepta difficilia legis naturalis sine gratia adimplere, ut præceptum castitatis, urgente gravi tentatione & occasione, juxta illud Sapient. 8. *Scio quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det: cum enim huiusmodi actus sit arduus & difficilis, superat vires hominis infirmi*: Ergo similiter urgente gravi tentatione, homo lapsus non poterit, absque speciali auxilio, vitare peccatum luxuriæ, nec per consequens singulos actus peccati. Unde ad testimonia D. Thomæ dicendum est, vel ipsum loqui solum de peccatis quæ sunt contra observantiam præceptorum faciliū; vel si loquatur etiam de illis, quibus præcepta difficilia legis naturæ violantur, solum excludere necessitatem gratiæ habitualis, non verò auxilii specialis; ait enim: *Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparatur per gratiam iustificantem &c.* Ad rationem verò subiectam concessio A. antecedente, nego Consequentiam: nam quod homo lapsus non possit sine gratia singula peccata mortalia vitare, non provenit ex parte objecti peccati, trahentis per modum naturæ, sed ex corruptione naturæ, & infirmitate potentiæ per peccatum debilitatæ, quæ non potest actus difficiles & arduos, etiam ordinis naturalis, elicere, nisi per gratiam roboretur & adjuvetur.

ARTICULUS VII.

Utrum ad nunquam peccandum venialiter requiratur speciale privilegium, & cui fuerit concessum?

S. I.

Prima pars quesiti resolvitur.

317 *D*ico primò: Homo in statu naturæ lapsæ, quantumcumque sit iustus & sanctus, non potest ex vi auxiliorum, quæ communi lege gratiæ annectuntur, omnia peccata venialia per totam vitam, vel per longum tempus vitare: sed ad hoc specialissimo auxilio, seu privilegio indiget. Ita communitè tenent Theologi cum S. Thomæ hic art. 8. licet Vega lib. 14. in Tridentinum cap. 21. repugnare videatur: docet enim posse quemlibet iustum, cum auxiliis quæ communi lege gratiæ annectuntur, abstinere toto tempore vitæ ab omni veniali, quamvis nullus id de facto fuerit consecutus. Durandus verò in 2. distinctione 28. quæst. 2. & Conradus hic art. 8. nostram conclusionem limitant ad peccata venialia quæ sunt ex indeliberatione, & asserunt alia quæ sunt venialia ex suo genere, sive ex objecto (ut furtum leve, mendacium iocosum, verbum otiosum) posse toto vitæ tempore absque speciali privilegio vitari.

318 *N*ostra tamen conclusio aperte colligitur ex variis Scripturæ testimoniis, quibus asseritur nullum esse iustum, quantumlibet gratiæ ornatum, qui aliquando non peccet: 2. Paralip. 6. *Nec enim est homo qui non peccet.* Jacobi 3. *In multis offendi-*

A *mus omnes.* Psal. 31. *Remissisti iniquitatem peccati mei: pro hac (scilicet peccati remissione) orabit ad te omnis sanctus.* Prima Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus &c.* Quod testimonium explicans Concilium Milevitanum cap. 6. ait: *Quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem dici nos habere peccatum, non quod vere ita est, anathema sit.* Et cap. 7. & 8. idem dicitur de verbis illis orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra, illa scilicet dicere sanctos non solum pro aliis, sed etiam pro seipulis, & non solum humiliter, sed etiam veraciter.* In Tridentino etiam sess. 6. cap. 11. dicitur: *Licet in hac mortali vita, quantumvis sancti & iusti, in levissima saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum illa vox est & humilis, & verax, dimitte nobis debita nostra.* Et postea ex eadem doctrina hanc definitionem confecit can. 23. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum in Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Favent etiam SS. Patres, præsertim Augustinus, variis in locis: nam lib. 1. contra duas Epistol. Pelag. cap. 14. hæc scribit: *Multi baptizati fideles sunt sine crimine; sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantumlibet Pelagianum, quia hæc dicimus, adversum nos insensur & dirumpantur infamia: non quia aliquid peccati remaneat, quod in baptismo non remittatur, sed quia in nobis, in huius vitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quiescent, quæ fideliter orantibus, & misericorditer operantibus, quotidie remittantur.* Hæc est fidei Catholice sanitas, quam Sanctus ubique seminat. Spiritus, non pravitas hæreticæ vanitas, & presumptio spiritus. Et libro de naturæ & gratiæ cap. 39. ait: *Si omnes sanctos & sanctas, dum hic viverent, congregare possumus, & interrogare utrum essent sine peccato, una voce clamarent: si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Unde de spiritu & litt. cap. ultimo asserit quod quamlibet, vel quantumlibet in hac vita poruerimus definire iustitiam, nullus in ea est hominum, qui nullum habeat omnino peccatum. Et de bono persever. cap. 2. *Tria sunt (inquit) quæ maximè adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia: quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari. Alterum est, in quantumcumque iustitia, sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum.* Denique idem S. Doctor toto libro de perfectione iustitiæ refellit quasdam Cælestii argutias, seu ratiocinationes, quibus astruere conabatur, posse nos in hac corruptibili vitæ, ad eam venire iustitiæ perfectionem, ut sine omni prorsus vivamus peccato; ostendens neminem id unquam assecutum, vel assecuturum, ne per gratiam quidem, quam Deus hic præcipuis etiam sanctis suis prestare sit solitus; cum Pelagius & Celestius libero id etiam tribuerent arbitrio. Unde cap. 4. sic ait: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiat tanta libertas, in qua sicut necesse est, permaneat beatè vivendi voluntas, ita ut sit etiam benè vivendi, & nunquam peccandi, voluntaria sibi que necessitas.*

Similia docet Bernardus, præsertim in serm. 319 de